

*receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri,*<sup>1</sup> et rursum: *Filioli, adhuc pusillum vobiscum sum.*<sup>2</sup> Hi ergo filii hereditas est, et haec hereditas *merces fructus ventris*. Est ergo Dominus fructus ventris, quem ex se in vitae nostrae fructum pariens Virgo progenuit. Et

\*701

haec eius merces est, qui ex Virgine nascendo \* fructum ventris esse se voluit: ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, haereditas sit.

PL  
10, 733

In psalmum CXXXI, 8. [...] Ex hac enim Iudae tribu Maria est, quae Domino nostro secundum carnem mater fuit.

236

## HYMNI

PLS  
I, 274

Hymnus I.

237

[...] Bis nobis genite Deus,  
Christe! Dum innato nasceris a Deo  
vel dum corporeum et Deum  
mundo te genuit Virgo puerpera:  
Credens te populus rogat [...]

## FORTUNATIANUS Aquileiensis († ante 371)

## FRAGMENTUM

PLS  
I, 239  
\*240

[...] Sed et virga Aaron, qui in sancta sanctorum floruit, in ty-  
pum \* Domini flos et fructus ipse virgae accipere potest. In virga  
quippe Mariam genetricem Domini nostri Iesu Christi, in flore vero  
ipso Domino praefigurasse accipiendum est. Sicut scriptura ait:  
*Egredietur virga de radice Iesse.*<sup>3</sup> Hinc de Domino Salomon ait: *Ego  
sum flos campi et lilia convallium.*<sup>4</sup>

238

## LUCIFER Calaritanus († 370/371)

## DE NON CONVENIENDO CUM HAERETICIS

PL  
13, 779  
\*780

[...] Sic, inquam, sectus est, atque proiectus tuus magister Arius,  
ut est sectus et reiectus Sabellius, \* qui fuerit ausus unam esse per-  
sonam Patrem et Filium et Spiritum sanctum defendere; quia fuerit

239

<sup>1</sup> Io. I, 12.<sup>2</sup> Io. XIII, 33.

● PL 9, 340, 342, 348, 592, 616, 735, 793, 849, 927.

● PL 10, 10, 65, 81, 91, 98, 152, 165, 172, 192, 201, 222, 230, 246, 284, 322, 347, 348, 378, 381, 383, 384, 386, 395, 403, 411, 455, 489, 507, 509, 512, 521, 522, 526, 655, 675, 717, 725, 735.

● PLS I, 91, 103, 122, 177, 222, 233, 247, 256, ■ 278.

<sup>3</sup> Isa. XI, 1.<sup>4</sup> Cant. II, 1.

ausus dicere ipsum sibi et Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; excisus est quia dicere non dubitarit, quod etiam ipse Pater in utero Virginis incarnatus sit, et fuerit passus. Sic Marcionem excisum proiecit, qui noluerit Dei Filium hominem suscepisse confiteri de utero Virginis, et per hoc hominem factum.

DE NON PARCENDO IN DEUM DELINQUENTIBUS

240 [...] Clarum est, Constanti, te esse antichristi portantem spiritum, te spiritu agi erroris. Sicut enim qui dixerunt, non suscepisse hominem de utero beatae Virginis unicum Filium Dei qui non illum crediderunt incarnatum, hominem factum, habere erroris astruantur spiritum, et antichristi nuncupantur, sic et vos Ariani cum unicum Dei Filium natum vere de Patre negatis, hoc est, de substantia Patris, verum illum esse Filium cum despuitis et semper illum cum Patre regnasse, numquam Filium fuisse sine Patre, neque Patrem sine Filio cum credere detrectatis, cum unam habere Patrem, et unicum Filium eius deitatem negatis, cuius vos spiritu esse plenos manifestatis, nisi antichristi? PL  
13, 987

S. EUSEBIUS Vercellensis († 371)

DE TRINITATE <sup>1</sup>

241 Lib. III. [...] Nunquidnam homo Deum assumpsit, et non Deus hominem? Deus utique hominem, non homo Deum assumpsit: nam etsi assumpsit de Maria Virgine, non quod semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuit amisit, sed neque deitas eius in homine augmentum aut detrimentum ullum sustinuit, cum talis in homine fuerit praesenti tempore, qualis et in sinu Patris semper ante assumptionem hominis una cum Patre fuisse cognoscitur. Sed e diverso dicis mihi: Quemadmodum hominem Deus assumpsit? Ignoras Isaiam prophetasse: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen eius Emmanuel; quod interpretatur Nobiscum Deus.*<sup>2</sup> Sed et Apostolus haec confirmat dicens formam Dei, formam servi suscepisse.<sup>3</sup>

Quapropter nobiscum Deus?

● FAUSTINUS PRESBYTER (saec. IV): PL 13, 51, 60, 67, 71; CCL LXIX, 312, 332, 335, 339.

<sup>1</sup> Libri 1-8 sunt Eusebii Vercellensis (cf. PLS III, 1258).

<sup>2</sup> Isa. VII, 14.

<sup>3</sup> Philip. II, 7.